

Card. Franzelin sic rem explicat: *a)* Dogma, quod certe Vulgata continetur, etiam in textu originali inest, quamvis forte non eodem loco. *b)* In Vulgata dogma deesse potest, quod in textu originali adest. *c)* Nullus locus dogmaticus Vulgatae dogma essentialiter aliud exhibet, quam textus originalis eodem loco, etiamsi expressio Vulgatae sit clarior vel minus perspicua. (De trad. et Script.) — *R. Cornely* autem sensum decreti ita exponit: *a)* Textus originalis et versiones antiquae vi usus sunt authentica; ideo illis uti licet, et argumenta ex illis deprompta eandem habent vim internam, atque argumenta a Vulgata petita. *b)* Vulgata est verus revelationis fons tuto adhibendus, nullam falsam fidei ac morum doctrinam continens, imo omnia, quae ad substantiam verbi Dei scripti pertinent (quae Deus scripto tradere voluit, ergo doctrinam autographorum) fideliter exhibens. Ex omnibus ergo Vulgatae textibus dogmaticis, de quorum constanti usu dogmatico constat, justum depromitur argumentum biblicum. Si textus Vulgatae integer et sensus ejus clarus est, ex sola Vulgata legitimum argumentum biblicum efficitur. *c)* Ubi versio incorrupta et clara est, verba autem originalia sunt ambigua, haec secundum Vulgatam interpretanda sunt.

honorem vetustatis (ob usum conciliorum) et ut certo scirent fideles, nullum inde haberi perniciosum errorem, et tuto illam et citra periculum posse legi, ad coërcendam etiam confusionem, quam affert multitudo translationum concilium hanc versionem sapienter praescripsit. »Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam foedatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset«, nec quemquam impediri »quominus ubi haesitaverit, ad fontes recurrat et Vulgatam ab erroribus repurget«. (De justif. XV. 9.)

Alph. Salmeron ait: »Non ita fuisse Vulgatam probatam, ut rejecta sint intelligenda Graeca vel Hebraica volumina. Nihil enim de Graecis vel Hebraicis agebatur; tantum inter tot Latinas versiones quaenam praestaret, sermo erat. Liberum reliquit omnibus (concilium) Graecos et Hebraicos (codices) consulere, quo nostram corruptam emendare valeant et eam dilucidius explanare. Licebit itaque nobis salva concilii auctoritate sive Graeci, sive Hebraici exemplaris lectionem variam producere, eamque ut verum Bibliorum textum expendere et enarrare, nec tantum mores per eam aedificare, verum etiam fidei dogmata comprobare et stabilire, atque adeo sumere ab illis efficax argumentum, tamquam ex textu S. Scripturae.« (Comment. in Evang. histor. Proleg. 3.)

R. Bellarminus scribit: »Non auctores illos (Theodotionem et Hieronymum) canonizavit ecclesia, sed tantum versionem approbavit; nec ita tamen approbavit, ut asseruerit, nullos in ea librorum errores reperiri, sed certos nos reddere voluit, in iis praesertim, quae ad fidem et mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata.« (De verbo Dei l. II. c. 11.)

Si autem Vulgata est ambigua, textu originali, si hic est clarior, explananda. *d)* Locus Vulgatae si in praesenti textu originali et antiquis versionibus desit, tamen firmum praebet argumentum, sed non biblicum, nisi constans hujus textus in ecclesia usus demonstratur. *e)* Concilium non negavit omnem modalem discrepantiam in textibus dogmaticis, seu diversitatem claritatis et intuitus, puta talem, qualis inter dicta Christi (e. g. in verbis institutionis eucharistiae) apud evangelistas reperitur. *f)* Neque concilium textus dogmaticos, jam antea critice dubios, autographis conformes declarare voluit, nec iis majorem, quam eo usque habuerant, auctoritatem attribuere; nam eatenus Vulgatam approbavit quatenus usu probata erat. Qui ergo textus antea critice dubii erant, etiam post decretum dubii manserunt. *g)* Concilium non censuit omnes textus dogmaticos, qui in sacris autographis adfuerunt, etiam nunc in Vulgata inveniri. (Intr. gen. p. 440. sqq.)

4. — Vulgata profecto est versio *approbatione digna*. Eam universim egregiam esse versionem, et omnibus, quae tempore concilii circumferantur, tum puritate fontis, tum fidelitate ac perspicuitate longe praestare, nemo rei peritus et a partium studio alienus negaverit. Multi ipsorum protestantium iique doctissimi Vulgatam laudibus extulerunt, ceterisque versionibus anteposuerunt. Ita Beza, Grotius, Walton, Capelli, uterque Buxtorf, Dav. Michaelis, Andrews, Lachmann, Tischendorf et alii.¹

Tamen Vulgatam a mendis librorum immunem non esse constat. Id jam loci Vulgatae paralleli inter se (in rebus profanis) repugnantes probant, sed ipsum etiam concilium significavit post decretum approbationis librariis praecipiens, »ut posthac S. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur.«

Revera subsequentes Romani Pontifices: Sixtus V. et Clemens VIII. et alii Vulgatam secundum codices Hebraicos et Graecos emendari curarunt, et a theologis emendatam laudarunt.² Anno 1592. prodiit editio emendata Clementina, quod exemplar est omnium posteriorum. Ipsa haec editio in praefatione suam imperfectionem profitetur: »Hanc editionem pro humana infirmitate omnibus numeris absolutam difficile est affirmare.« »Multa, quae mutanda videbantur, consulto immutata

¹ H. Grotius ait: »Tutissima omnium iis, qui nec hebraice nec graece didicerunt, est Vulgata versio, quae nullum habet malum dogma, sicut tot saeculorum et gentium consensus judicavit.« (Vot. pro pace.)

² Jam saeculo XIII. correctoria (epanorthotae) lectiones variantes Vulgatae collegerunt et emendarunt.

relicta sunt. « Bellarminus autem, unus e correctoribus Romanis, testatur, hanc editionem nondum esse accuratissime correctam, et superesse non pauca, quae adhuc in melius mutari possent. Viri docti plus quam quattuor milia mendorum in editione Clementina numerarunt. Cur autem menda illa sublata non sint, multae causae sunt. Primum quidem illa ad essentiam rerum non pertinent. Deinde memineris S. Hieronymum textu antemasoretico usum esse; ubi ergo Vulgata a textu masoretico dissentit, dubium est, an non hicce sit corruptus. Saepe eruditi disputant, quomodo locus aliquis vertendus sit. Praeterea periculum est, ne fideles textum S. Scripturae sibi saepius notum mutari videntes scandalizentur, idque eo magis, quoniam correctionem Vulgatae sequi deberet versionum vernacularum emendatio. Denique Vulgata correcta libri liturgici obsolescerent et ab usu removendi essent, quod praeter alia incommoda magno damno ecclesiis et privatis esset.

CAPUT TERTIUM.

De interpretatione protestantica.

§ 117.

Sententiae protestantium de interprete Scripturae.

Quum protestantes S. Scripturam unicam fidei regulam haberent interpretationemque ecclesiae authenticam respuerent, alium interpretem Scripturae constituere sunt coacti. Tres inter eos hac de re exstiterunt sententiae. Alii S. Scripturam suam ipsius interpretem censuerunt, alii revelationem Spiritus S. cuique privato assistentis, alii rationem solam Scripturae interpretem autumarunt. Haec autem omnia, nec a Christo sunt instituta, neque huic muneri exsequendo sunt idonea.

1. — *Scriptura sua ipsius interpretis* bifariam dici potest. Aut eo sensu, quod sit tam perspicua, ut interprete non indigeat, verum sensus ejus cuique quamvis tardo et indocto primo aspectu pateat, nec dubium vel error de eo oriri possit. Aut vero eo sensu, quod una Scripturae pars aliam interpretetur.

Quod ad priorem sensum attinet, constat Scripturam perspicuam non esse, et sensum ejus saepe ne doctis quidem primo aspectu apparere; indoctos autem plerumque interprete indigere. Unum tantum argumentum addimus, centenas sectas protestantium inter se contrarias, quae omnes locis ejusdem S. Scripturae causam suam defendunt.

Quoad secundum sensum, non est dubium, quin unus S. Scripturae locus alium authentice interpretetur. (Interpretatio authentica interna.) At inter omnes Scripturae aliquantulum gnaros constat, paucos tantum Scripturae locos aliis perfecte explanari, multos autem, utpote qui locos parallelos non habeant, plane nullo modo explicari. Et saepe loci paralleli aequae obscuri sunt, ac loci explicandi.

Huc pertinet *interpretatio panharmonica*, quam *Frid. Henr. Germar* annis 1821—1834. induxit, ut nimiae dissensionis ac novitatis studio obicem poneret et rationalismum impediret, quam interpretationem plures theologi protestantes amplexi sunt. Haec normam interpretationis statuit analogiam doctrinae biblicae, sanae rationis et factorum certorum; seu eum tantum sensum accipit, qui cum aliis locis biblicis indubitatis (imprimis Christi dictis), et cum principiis rationis vel factis alioquin certis consonat.

Quamvis hoc principium per se sapientissimum sit, si ipsae veritates, ad quarum normam interpretatio fit, certae sint, ad usum tamen nihil fere valet. Nam multi loci biblici ejusmodi analogia, quibus illustrentur, non habent. Deinde ipsa doctrina biblica, principia rationis, veritatesque historicae, ad quorum normam interpretatio facienda sit, a sectatoribus liberi examinis tum diverso sensu accipiuntur, tum in dubium vocantur; itaque ipsa norma interpretationis incerta est et vacillat.

2. — *Interpretatio pietistica* ope revelationis privatae Spiritus Sancti seu *Spiritus privati*. Quaedam protestantismi sectae, plerumque saec. XVII. ortae (pietistae, quakeri, methodistae, Swedenborgiani, mormoni, et in Hungaria anabaptistae et Nazareni) autumant, omnibus Scripturam legentibus Spiritum S. assistere, lucem infundere, sensumque S. Scripturae immediate revelare. Sententia haec, quae ad deliria falsi mysticismi pertinet, et nemini sobrio ac sano arridere potest, sequentibus refutatur.

a) *Argumenta* sectarum sunt quaedam Scripturae dicta e contextu excerpta et male interpretata; specialiter illa, quae fidelibus auxilium Spiritus S. promittunt vel datum asserunt. Hi autem loci ad lectionem Scripturae et Spiritum S. assistentem perperam referuntur.

Tales loci sunt: a) Joan. 1, 9. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verum locus hic significat Verbum esse lucem, quae omnes homines non lumine prophetico sed